



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746;

conscrip̄tae a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

Recensum Manuscriptorum, tum veterum, tum recentium Bibliothecae nostrae exaraturus, in loculo absconditissimo Ephemerides has reperi. Exstant 69 paginis chartaceis in folio, longitudine $33\frac{1}{2}$, latitudine $21\frac{1}{2}$ centimetrorum. Folia sunt soluta, scriptura infimae notae. Occurrunt hinc inde phrases vernaculae, quas, ne relationis integritas detrimenti quid patiat̄ur, immutatas retinui. Auctor Hieronymus Pez honestis parentibus Isidis ponte natus est die 24. Februarii anni 1685. Adolescens Viennae et Cremosii humanioribus disciplinis apprime excultus, Lincium inde Philosophiae disciplinis erudiendus missus est, quibus emensis, septemdecim annorum juvenis, anno 1702 in Monasterio vestem Benedictinam induit, et 26. Decembris 1703 per sollemnem Professionem Ordini nostro adscriptus est. Anno 1711. 8. Septembris sacerdotii primitias Deo obtulit, et per totum vitae curriculum studiis historicis operam navans, primo Novitiorum Magister, dein Subprior, et, defuncto suo fratre, Bernardo, Bibliothecarius in Monasterio existit, ubi homo grandaevus, 78 annorum, marasmo senili extinctus est, die 14. Octobris 1762. De ejus vita, scriptisque in opere: »Scriptores Ordinis S. Benedicti, qui 1750—1880 fuerunt in Imperio Austriaco-Hungarico,« pag. 340 necessaria annotavi. Ephemerides has, nunquam ante editas, in medium proferendi ideo consilium cepi, quod in ipsis res plurimae nusp̄iam

memcratae occurrunt, quae oblivioni eripi merentur; auctor plurimis ipse interfuit, alias a testibus oculatis vel eorum consanguineis hausit, usus quoque, sed cautissime, Novis Viennensibus aliisque hinc inde evulgatis; queritur interdum, earum relationes esse falsas, vel prorsus deesse, si parti cuidam ignominiosi quid erat recensendum. Ubique se praebet virum summe sincerum, veritatis patriaeque amantissimum, et in Reginam suam, ab hostibus tam multis impetitam, singulari semper fide et animo. Utere hisce relationibus benevole lector! mecumque sperare perge, fore, ut exortis forsitan bellis atque discordiis, Imperii filii in unum conjuncti, eundem hostibus resistendi animum contestentur, qui, regnante gloriosissima Imperatrice, Maria Theresia, milites nostros immortales reddidit.

* * *

Audita per Ducem Electorem Bavariae Passavii occupatione ingens per utramque Austriam trepidatio.

Plurima in navibus Lincio et Austria superiore Viennam aliaque loca tuta comportata. Franci, quos in auxilium evocavit Dux Elector Bavariae, magis magisque per Ducatum Würtembergicum et alias Principum Imperii terras ad Bavariam accedunt, servata in itinere maxima disciplina, (secus plane in Patria nostra) et rebus necessariis pro sustentatione exercitus Francici undique adductis, et pretio ab ipsis adcurate persolutis. Rex Franciae constituit Ducem Bavariae supremum sui Locum tenentem exercitus Gallici, cujus potestatis supremae litterae ab Rege datae impressae legebantur in novis Gallicis Francofordiensibus.

Die 8^{va} Septembris orto undique rumore, Ducem Electorem Bavariae cum una parte exercitus 40.000 simul Bohemiam, altera vero eodem numero militum Austriam, tum superiorem, tum inferiorem, petiturum, ipsamque Viennam obsessurum, D Abbas noster Mellicium advenit, et ordinatis, quae e re praesentis status Monasterii erant, die 11^{ma} ejusdem mensis Viennam abiit, nobis in Prioratu collectis publice valedicens, datis salutaribus monitis, a nobis, si Bavari ac Franci Monasterium invaderent, hieque praesidium collocarent, observandis. Magnus inde omnium luctus, timores et curae.

Die 12^{ma} quatuor e nostris, ordinante D. Abbate, per currum 6 equorum ad Monasterium S. Lamberti in Styria abiere, scilicet PP. Martinus Kropff, Subbibliothecarius, et P. Chrysostomus Fischer, Professor tum Philosophiae, tum Theologiae speculativae in Monasterio, F. Casparus Ebner, et F. Melchior Panckl, Theologi studiosi in 2^{dam} annum. Hos inter P. Chrysostomus recusavit iter, et altera die ad Parochiam Haugsdorfensem nostram ut vicarius concessit. F. vero Casparus maluit in Monasterio permanere amore ejus, ut, quantum posset, eidem advenientibus huc fortassis Bavaris, ac Gallis, per suae linguae Gallicae notitiam serviret, generoso sane actu et forti, a Patre Priore et a me merito propterea collaudato. Loco istorum duorum P. Prior ad S. Lambertum misit PP.

Ambrosium Steinhart, et P. Aemilianum Schober, Rhetoricae Professorem. Solus F. Melchior per annum ibi commoratus studiorum causa, 16. Septembris 1742 ad nos rediit.

Die 13^{ta} Septembris navibus per Danubium hic transierunt Hungarici milites permulti, in navibus simul duabus conjunctis ligna ad modum Palisatum secum vehentes. Hae naves cum impositis lignis destinatae erant ad faciendum pontem navalem apud Matthausen, vel circa, sed ob adventum hostium intermissum fuit hoc opus, et in Austriam inferiorem deductum. Item ingens copia farinae et longe major salis ex Gmunden, Ischel, Hallstat, quod erat etiam majoris ligaminis, item quaedam tormenta navibus hic transportata in Austriam fuere.

Ingens quoque vis salis, et foeni relicta in Matthausen et alibi; ob defectum nautarum nolentium operam suam conferre. Abierunt autem ex Austria superiore dicti milites ob adventum Ducis Bavariae Lincium, quo erat, ut dicebatur, venturus. Ensium urbs multo labore munitum fuit, sed incassis sumtibus; cum omnes ob adventum Ducis Bavariae exinde fugerent, multi ex altera parte Danubii rustici eo missi sunt ad fossam seu vallum conficiendum. Ferunt ad 20^{vel} 30.000 florenorum impensas factas pro constructione hujus valli.

Die 12^{ma} Septembris Pater Prior in Capitulo nomine totius Conventus praesentis fecit votum ad tabellas Marianas, si Monasterium protectum fuerit ab hostibus, cum solempni gratiarum actione, et offerendo notabili anathemate.

Item hoc tempore turbulento argentea cochlearia a mensa regulari sublata fuere, et in tuto collocata, ac eorum loco apposita cornea, simulque pro crateribus argenteis vitra apposita in mensa diebus illis, quibus e veteri consuetudine in diebus primae et secundae classis extraordinarium vinum datum fuit. Item mulieres multae ex oppido nostro ad loca montana hinc se receperunt.

His diebus scilicet 13. 14. 15 et 16^{ta} omnes nostri milites, quos habuimus in Austria superiori tum Germani, tum Hungari, et Croatiae numero fere 5000, aut paulo amplius, totam Austriam superiorem fugiendo reliquerunt, et partim terra, partim Danubio Mellicio Viennam transierunt, idque ob adventum Ducis et Electoris Bavariae in eam provinciam, cujus metropolim Lincium 14. Septembris dicitur cum suis militibus occupasse. Die sequenti feria sexta, qua Posta superior semper advenire consuevit, hac die tempore solito minime allata huc est, quod argumento est, duces ac Electorem Bavariae forte prohibuisse Lincii, ne postea libere sinatur in Austriam inferiorem descendere. Cur autem nostri milites ex Austria superiore discesserint, causa erat paucitas nostrorum contra numerum militum Bavaricorum. Non poterant certe plures e nostris milites pro defeusione Austriae superioris mitti, quia Regina nostra uno eodemque tempore quatuor hostes habebat, quibus opponere se debuit, nimirum Rex Borussiae in Silesia, Hispani et Rex Siciliae in Italia, Rex Galliae cum Duce Electore Bavariae, atque ita sufficienter se non poterat opponere

tot adversariis. Insuper ferebatur Vienna, si fortassis a Duce Electore Bavariae obsideretur, se eidem deditura, eo quod nullum regularium militum sufficiens praesidium in ea esset, ac cives male contenti essent, dicerentque, se tanta contribuere debere, et nunc etiam se ipsos defendere debere; nec facile paterentur suburbia dirui; fama tamen erat, Hungarorum 50.000 in ejus subsidium ventura, favente Palfio Palatino.

16^{ta} die Septembris duae legiones incompletae regiae, scilicet Khevenhülleriana desultoria (vulgo Dragoner) et Eugeniiana desultoria cum 200 Hussaris Mellicio transierunt, in campo ante oppidum Loostorfium subsistentes et manducantes. Pro his militibus rogatus est noster P. Prior ab Excellentissimo D. Carolo Palfi, horum militum duce, die 14^{ta}, cum ad coenam sederet, ut panem pinsi curaret in Monasterio, farina ab Excellentissimo D. Palfio subministrata. Panis etsi niger, utcumque tamen bonus fuit, cujus buccellam ego gustavi.

Die 17. Septembris tres primi officiales militares ad P. Priorem venerunt, et post eos plures alii, et ad prandium hic permanserunt, ab his dictum, jussos milites prope Loostorfium usque ad ulteriorem iussionem Reginae subsistere, forte, ut Bavaris, eos fortassis insecuturis, sese hic loci opponeret, et uti ego suspicatus sum, in nostro Monasterio et oppido praedicto collocarent adversus Bavaros. Cum haec scriberem, venit ad me noster janitor, dicens, in oppido unam cohortem militum praedictorum morari, et similiter unam cohortem Hungarorum excurrisse ad observandum Bavarorum adventum, cum suspicio esset, eos huc Mellicium adventuros. Item heri, duo militum uno comite seu socio adiuncto per totam noctem in Galeria nostra et scala exteriori excubias egerunt propter Bavaros. Item heri, uti et hodie, scilicet 18^{va} die quidam ex militibus praedictis portas oppidi nostri custodiebant. Pater Prior hodie in scheda affixa in valvis Capituli vetuit, ne, si forte venirent Bavaricae turmae, de bello loqueremur, et multo minus in publicis concionibus de ejus causa mentionem faceremus, et ut deinceps pro collecta de Regina nostra in Missa sumeremus collectam de pace. Phlebotomia, apud quam tantum hoc auctumno 4 vel 5 erant, in communi refectorio cum ceteris habita per triduum, phlebotomisque permissum, post mensam in refectorio remanere, et habere solatium competens, idque factum ob praesens periculosum tempus. Post rumorem ortum, Bavaros obsessuros Viennam, plurimi religiosi, maxime ex ordinibus mendicantium, jussi sunt, Vienna alio commigrare.

Die 19. Septembris. Praefectus militum in oppido nostro existentium, apud nos in prandio comedens, mensa durante litteras a Carolo Palfio, militum praedictorum Duce, accepit, quibus iussus est statim cum militibus suis oppidum nostrum deserere et reliquas turmas sequi usque in Steinfeld extra S. Hippolytum vel Viennam usque. Causa nobis hujus discessus erat ignota. Item e campo militum prope Loostorf et Rogendorf 5 vel 6 deseruerunt. Viget adhuc timor usque hodie venturorum ad nos Bavarorum.

Die 20^{ma} Septembris Josephus, necdum unius anni puer, et Archidux noster, Ponium Vienna cum Regina matre abductus est. Similiter Elisabetha Imperatrix, Caroli VI. Coniux, et Magdalena, Leopoldi nostri Archiducissa, Graecium abierunt. Eadem die quidam ex nostris Hussaris, qui usque fere Ensium motus Bavarorum et Gallorum observant, redeunt Mellicium duos Bavaros captos secum adduxerunt. Item jussu Generalis Palfii pons Steinensis ob metum hostis exustus, et destructus est, saltem in partibus anteriori et posteriori.

Die 21^{ma} quidam nauta Lincensis, a quodam praefecto Starnbergensi clam cum litteris ad quemdam Capitaneum Khevenhüllerianum missus, Mellicium venit, a quo accepimus, ipsa die 21. Septembris Ducem Bavariae decem millia suorum militum jussisse Lincii super Danubium in Bohemiam pergere.

Die 22^{da} ad Monasterium nostrum venit P. Mauritius Höppl, Supprior Gottwicensis, a suo Abbate huc missus, ut nostrum P. Priorem interrogaret, an Praesules superioris Austriae homagium Serenissimo Duci Bavariae jam praestiterint, et utrum cum licentia nostrae Reginae fecerint. Idem narravit, Abbatem suum, utut pedibus aegrum, mansurum in Monasterio, durantibus turbis in patria, eo quod, ut pastor velit apud gregem suum manere, nec tali tempore deceret Pastorem abesse a grege, nisi multa propterea incommoda ei toleranda essent. Factum vere dignum Abbate Benedictino!

In sequentibus diebus rursus e nostris militibus quaedam Cohortes ad fines Austriae versus Anesum ascenderunt, seque in Ennsdorf, Ambstetten, Strenberg aliisque Austriae superiori vicinis locis se locant, motus et molimina Bavarorum et Gallorum studiose observantes, e quibus militibus usque hodie, id est 27^{ma}, in oppido aliqui remanserunt, accurate advenientes hospites examinantes. Heri quidam missus ab Enns cum litteris ad Comitem de Auersperg Mellicium venit, et detentus a militibus in oppido, deductus est ad Monasterium ad Praefectum vigiliarum, tunc existentem apud nos, qui directus fuit ab Enns versus Micheldorf, ubi reliquae Cohortes militares castra metati sunt. Idem nuntius, cui et ego locutus sum, inter cetera narravit, Ducem Bavariae cum Gallis intra paucos dies in tribus divisionibus in Austriam descensurum. Hic homo mihi narravit se vidisse Serenissimum Ducem Bavariae cum aliis legatis variorum Principum in arce Ennsensi ad mensam residentem, et accurate eum descripsit, ut vera eum dixisse non dubitem. Hoc rumore iterum vulgato hic magnus terror secutus est. Item commeant Hussari nostri, et currunt sursum deorsum, certa semper nova de hoste rescituri, et suis renuntiaturi. Notandum, quod per hosce dies nulla fere navis per Danubium supra Lincium descendere visa sit, cum alias hoc tempore propter vindemiam plurimae hunc praeternavigarent, et hoc usque ad diem 7^{mum} Octobris.

Die 27^{tima} Capitaneus militum in oppido nostro existentium nostro P. Priori per litteras significavit, se ab uno locum tenente suo, in

excubiis in finibus Austriae superioris subsistente, accepisse, hostes, numero fere 400, in Augia apud S. Petrum prope Seittenstetten visos. Item quidam mercatores Viennenses, e Norimberga reduces, intra Passavium et Lincium videre in ratibus fere 400 tormenta bellica, eosque Lincii iussos loqui cum Electore serenissimo Duce Bavariae, benigne quidem ab eo acceptos, sed cito abire, et praesertim Ennsii nonnisi media hora se detinere jussos. Item Comitem e Gatterburg, comiti de Thöring, Duci exercitus Bavarici, Ennsii locutum, a quo accepit, Bavaros non admodum libenter ituros in Austriam inferiorem, praesertim Viennam. Item grandes nostras naves, quibus usi sumus olim contra Turcas, ascensuras per Danubium, munitas tormentis et militibus, et navibus hostilibus adversaturas. Vienna summo studio, et hominibus et comiteatu, et operibus munita fuit propter Bavaros et Gallos.

28^{va} perducta sunt nostri Monasterii tormenta bellica cum aliis sclopetis ad navem Viennam devehendam, jussu Consilii Regii, numero fere 16 vel circiter, una cum globis tormentariis. Advocati quoque fuere omnes venatores ex omnibus Dynastiis Viennam. De aliis quoque locis, ubi adservata fuere huiusmodi tormenta, exinde Viennam devehijussa fuere.

30. Septembris. Sub meridiem naves nostrae, dictae Tzaiguen, numero fere 7 vel circiter, ex altera Danubii ripa ascendentes, Mellicium secundo fluvio, me spectante appulerunt, sonantibus tympanis. Hae naves ex Hungaria venerunt, in quibus Hungari armati cum sclopetis, frameis et parvis tormentis erant, hostem ex iis in aquis descendentem oppugnaturi. Manserunt integra die Dominica Mellicii, exspectantes adhuc plures tales naves. Item nostri Hussari ceperunt unum exploratorem Gallum, apud quem invenerunt viarum itinera, per quae in Austriam hostis irrumperere decreverat. Item unum Capitaneum, seu Hauptmann, captivum adduxerunt nostri milites, Generali Palfio praesentandum. Item Hussari in Augia S. Petri, prope Seittenstetten, 400 (uti ferebatur) hostes fugarunt, per pontem Ennsii se domum proripientes.

1^{ma} Octobris, quae erat Dominica, sub noctem redierunt Hussari aliqui Mellicium, reliquis ab hostibus occisis, ut dicitur, certe 40 desultorii equites occisi (alii captos fuisse dicunt) dicebantur in quadam cum hoste pugna Ima Octobris habita. Quorum adventu vigilum Praefectus, D. Graser, cum paucis militibus, qui in oppido nostro per aliquot dies excubabant, mane aufugerant. Statimque rumor exortus, hostem in Austriam inferiorem ingressum, postridie ad nos venturum. Dicebantur tres pontes navales super Anesum structi a Bavaris et Gallis.

2^{da} Octobris dies nubila et nebulosa cum pluvia praeterita nocte, et propter metum advenientium Bavarorum et Gallorum ad speciem tristis. Post 12. man venit iterum Mellicium turma Hussarorum nostrorum, mansit in oppido, in plateis pabulum praebentium equis. Heri sub noctem Gallici exploratores usque ad oppidum nostrum advenerunt: Hungaricas naves exploraturi, stantes in littore nostro, quod advertentes

Hungarici milites, exploso super eos sclopeto, eos illico fugarunt. Verum hic notandum, quod secunda Octobris venientes in nocte ad naves nostras Hungaricas Hussari, non fuerunt Gallici seu hostiles, sed nostri ipsi Hussari, a fuga trepidi et anhelantes, Mellicium venientes. Quos cum naves nostrae habuissent pro hostilibus Hussaris in eos iaculati sunt, statimque nostri Hussari, putantes, naves hostiles esse, retrocesserunt versus viam, ducentem ad patibulum, perque tenebras pergentes in campis nostrum lictorem cum lucerna, alio euntem, casu offenderunt, et cognito quod nostras esset, eum rogaverunt, ut duceret eos in Loostorf. Quod et factum, et ab ipso lictore postea iudici fori narratum est. Hac ipsa die naves istae in alteram Danubii ripam transierunt, a me visae e regione cellulae meae, et ignem accedentes, parandis, ut credo, cibus, et versus partes superiores in Danubio pergentes, contra naves hostiles venturas. Hae naves ab illa die in Weittenegg substitere, nec ultra processerunt, ibi etiam graves excessus et rapinas fecerunt praesertim D. Jager, cognato meo. Excessus hi a Tzaikistis, seu Hungaris, in navibus s. existentibus commisi fuere sequentes. Primo Mellicii in hospitio quendam civem Schopper opificem, ostendentem in sacco aureum, et bibentem, eum exploratorem vocarunt, qui cum sileret cum suo socio ibidem bibente in hospitio, qui fuit sculptor, tandem unus ex Hungaris ultimum exploratorem vocavit, quo se verbis honeste defendente, Schopperum talem titularunt, eumque einen Hunds etc. vocarunt, quam ille iniuriam non ferens, et eodem titulo iniuriantem compellans, et in mentum ferociter tundens, statim ab illis in vasus, et multis plagis affectus, graviter decubuit, et, ut videbatur, ad mortem usque. Secundus excessus fuit, quod Weitteneggii cum domum cognati, navarchi Jageri, clausam invenissent, vi in eam irruperint, Jagero fugiente, et se in domo affinis sui, et in castro Leuben abdente, insuper 4 porcos ex domo Jageri abstulerunt. Turneri quoque, alterius navarchi, cum audissent a quodam nauta, apud eum frumentum ad Bavaros spectans adservari, vi eum coegerunt, ut modios 200 et siliginis illis tradiderit, et Steinium devehi curaverit. Postea, acceptis 3 vel 4 Ducatis, a Weittenegg recesserunt, et in Marbach abierunt, unde hodie, i. e. 5. die, audita sunt tormenta et explosiones sclopetorum, forte, quod cum hoste congressi fuerint. Item secunda Octobris dictum est, Gallos et Bavaros jam venisse in Burgstall, Gresten, Scheibs et loca vicina. Hunc rumorem, qui certo falsus postea compertus fuit, fugitivi Hussari Mellicium attulerunt.

3. Octobris nostri Religiosi videlicet PP. Joannes, Supprior, Cammerarius, Ludovicus, Godefridus et Gerardus jussu D. Abbatis, non obstante, quod heri et hodie expectatus sit a nobis exercitus Bavarorum et Gallorum, Viennam per aquam descenderunt ad colligendas decimas de vino. Item hac die quidam lanio Mellicensis huc venit, narrans, se vidisse plurimas rates ante urbem Ipsensem, in qua fere 4000 milites Bavari fuerint, et plures expectari.

4^{ta} hodie ante prandium venit ad oppidum quidam Hussarus

Bavaricus, splendide vestitus, qui se dixit esse desertorem, et nostro balneatore vidente, locutus est judici oppidi nostri, et ab eo petiit nuntium, voluitque ire ad Comitem Palfi, ducem copiarum, quae fuere in Austria superiore, et nunc in Sieghartskirchen creduntur stare; neque enim ab eo tempore, quo milites Mellicio recesserunt, quidquam de iis rescitum fuit. Hic Hussarus dixit, se esse Edenburgensem natum, atque Ipsio, quantum memini, vel Posenbeigio discessisse a suis, et in altera Danubii ripa cum Capiteo navium nostrarum Hungaricarum locutum, et ab eo testimonium ac nuntium, ut potuerit Mellicium transire, petiisse. Narravit etiam heri, i. e. 3^{ta} Octobris, fere sub mediam secundam vespertinam, hostem spatio fere 4 horarum Ipsum ingressum, et ibi hospitium accessisse, quodque quidam etiam in arcem Pösenbeig transierint, et Ipsii quoddam vallum extruxisse, iterumque adhuc 17 fere turmas equestres Ipsii expectari et probabilius 6. hujus huc Mellicium venturos. Hic Hussarus explorator tantum fuit, nam redire visus est per Mellicium ad suos. Quod attinet Pösenbeigium, heri quidam textor ejus loci, Mellicium ad solitum forum veniens, affirmavit, Gallorum 200 illam arcem occupasse, in nullius autem civis domum venisse, et Bavaros tantum 300 Ipsii commanere. NB. Ipsii multa millia Bavarorum et Gallorum fuere, ubique domos occupantes numerosiores.

5^{ta} Octobris, in hodiernis impressis novis Viennensibus insertum fuit edictum Reginae nostrae, in quo vehementer conquesta est adversus irruptionem Ducis Bavariae in Austriam superiorem, et quod is voluerit 2. Octobris accipere homagium a Statibus praedictae Austriae superioris, et quod hoc homagium pro nullo et illegitimo declaret, scriptoque ostensura sit, quam nullo iure Dux Bavariae sibi arroget et vindicet haereditarias Austriae provincias, titulo haeredis et testamento Ferdinandi I. Imperatoris. Exspecto, quale et quam solidum futurum sit hoc scriptum, et Apologia pro se

Die 6^{ta} legi litteras, a F. J. M. Ipsensi die 9^{ta} Octobris scriptas, quae inter alia haec continebant, milites Bavaricos ingenti numero Ipsum ingressos, quod sine horiptione (?) videri non poterat, nemini quidquam mali ab illis fieri, ob severam disciplinam illis iniunctam, quam non satis bene a gregariis militibus observatam. Ab urbe contributionem ab ipsis petitam 1000 modios avenae, totidem modios frumenti, amplius vero foeni et straminis, cumque intra praescriptum terminum omnia haec comparari non potuerint, omnia horrea violenter reclusa, seu aperta, indeque omnis in eis supellex contenta a militibus ablata. Hodie i. e. 6^{ta} Octobris expectari totum exercitum, eademque die 4 milites, qui domum ejusdam rustici in Reitering diripere, in furcam agendos: omnes urbis domus perlustratae, ut videretur, quid farinae, butyri, seu liquaminis aliorumque victualium in iisdem asservetur. Omne olus in agris olerum supremus Copiarum Dux demeti jussit, et in Cassernam deportari ordinavit. Hortatur eum, ad quem scripsit, scilicet Dominum Medicum nostrum, ut sibi de victualibus bene provideat, praesertim

farina, liquamine, frumento etc. parari hic magna Magazina pro exercitu: omnia tolli ab hominibus victualia, ipsis non summe necessaria, ut tantus exercitus possit sustentari, quod tamen fieri vix potest: uti conjectura est, exercitum totum octo diebus Ipsii mansurum, et tum inde ulterius progressurum; quasdam Cohortes ad expugnandas nostras Hungaricas naves, in Marbach existentes, abiisse die 5^{ta}. Id confirmatur, quod Mellicii apud nos audita fuerint tormenta et sclopeta, ab Hungaris nostris explosa. In fine epistolae hujus dicebatur, 30 Hussaros nostros in Ambstetten ab hostibus captos et in Casserna Ipsii adservari: NB. Hi ex iis fuerunt, quos scripsi, supra Dominica 1. Octobris fugientes celerrime Mellicium nocte advolasse. Non memoravit scriptor harum litterarum, an hostes postulata pretio exsolverint, neque quo se moturus sit hostis, quod semper Dux Bavariae secretissimum hucusque habet, et eventus primum docebit.

7^{ima} Octobris Tzaikistae, quorum naves 5, et fere 200, plus minus, homines in iis erant, hic Mellicio per aquam transierunt, et secundo Danubio hinc diffugerunt, nemine plane dolente ob eorum inhumanitatem et excessus, in nostra vicinia commissos. Fertur nostri oppidi Indicem eos monuisse, proxime adventuros hostes, quae causa fuit, ut abitum suum celerrime tympanis pulsus hinc paraverint. Fama quoque erat, servum seu Tubicinem a nostra Imperatrice, vidua Amalia, Mellicio transiisse, missum ad Serenissimum D. Electorem Bavariae, rursumque ab hoc ad eandem alium e suis remissum in Klosterneuburg, ubi metu obsidionis Viennensis jam per plures dies agit. Item magna navis onusta vasis ad vindemias hic pertransiit, forte fuit Passaviensis Lösschif, item alia cum rubro et albo colore habens vexilla, forte die Nürnberger Fuhr.

8^{va} Seditibus nobis ad prandium quidam homo ignotus dictus Joannes Stiringer ad P. Priorem litteras patentes subscriptas nomine Excellentissimi D. de Töring, Mareschalli campi Serenissimi Ducis Bavariae misit, quibus petebat licentiam circa Monasterium et vicinas sylvas inquirendi, utrum non dentur, et inveniantur per fossionem fructus terrae, dicti artofili, ad faciendum bonum jusculum aptissime, quae res suspicione non caruit, aliud sub hac petitione latuisse, P. Prior jussit illi dare prandium, auf der Officier, (?) jussu P. Wolfgango cum ipso conversari, qui paulo post a nobis discedens in oppido captus et abductus est a militibus nostris. Eodem die post horam 12mam pomeridianam advenerunt in oppidum Mellicense quidam officiales cum servis, stante in campo extra oppidum magna turba Rasciorum, vel verius Hussarorum, ut dicebatur, in equis, quam ego per tubum opticum ipse meis oculis perspexi, nesciens tamen verum eorum numerum, quorum adventus finis erat, ut dicebatur, explorare hostem, ubinam consistat. Jam enim dicebatur in Kemelbach, Ips et Poechlarn, aliisque vicinis locis stare, et cras cum toto exercitu huc venturum, ut noster ianitor, ad postae Magistrum missus, a P. Leopoldo Archimagiro retulit, sibi dictum ab

eodem. Certe ego ipse officiales Germanicos cum aliquot Hungaris per oppidum ad Domum Postae equitantes vidi, et Cohortem extra oppidum in campo ultra den Lerchenbäumen ad dextram stantem, et inter eos quosdam rapas ex agro legentes vidi, inquam per fenestras cubiculorum hospitem extra conventum obtenta licentia foras egrediendi. Prædictus homo ignotus fuit venator et amissum suum canem venaticum, cui ligamen erat, a Iudice oppidi repetens incidit in manus nostrorum Hussarorum, quos ipse putabat esse Bavaricos, et ab ipsis captus est. Porro hi Hussari ingentem vim fœni, et avenae, et ciborum sibi ab oppido dari petierunt, adeo ut ingens defectus hujus subsidii extiterit. Credibile, eos huc venisse, ut pabulum equorum venturis hostibus praeriperent. Quidam eorum in fine oppidi statim versus occidentem adversus hostes excubare debuerunt nocte, et altera die, scilicet 9^{ma} Octobris, a nostris Religiosis in communi exitu visi sunt, qui nimirum Religiosi ipsis pecunias aliquas rogati dederunt pro vino cremato emendo. Hodie quoque ante prandium omnis illa turma recessit in Loostorf, nihil penitus tentando neque audendo contra hostem (tanta in eis ignavia aut timiditas inesse visa est) qui necdum hodie, ut sperabatur, Mellicium venit, forte metu Hussarorum retentus. Hussari illi, accenso in agris igne, ibidem pernoctarunt absque tentoriis, et sepibus evulsis ignes excitarunt, famaque est, ipsos in Pielach vindemiasse vineas. Item hac ipsa die Monasterium nostrum jussum est pinsere rursus panes, propriis sumptibus, pro dietis Hussaris, stantibus foris in Loostorf, circiter ducentos panes, et oppidum Mellicense, suis quoque sumptibus, magnam pariter quantitatem coquere pro iisdem debuit.

10^{ma} Octobris Hussari nostri penitus ante prandium hinc discessere. E contra satis numerosae turmae aliquot hostiles equestres supra oppidum nostrum in agris et campis stantes et circumequantas a nobis e fenestris Monasterii, etiam a me per tubum opticum visae sunt, exploraturae, (credo) et certius cogniturae, num nostros Hussaros alicubi stantes vel latentes viderent. Postea vero nemine eorum viso retrocesserunt versus occidentem.

11^{ma} redierunt Hussari nostri ex Loostorf, audientes, aliquam adhuc fœni et avenae provisionem in oppido exstare, dandam fortassis hosti huc venturo, quam provisionem extorsere a Iudice oppidi sub comminatione incendendi oppidi, et sic redierunt in Loostorf. Hostes etiam in S. Leonardo aliisque vicinis locis contributiones fœni et avenae fecere. In S. Leonardum nocte venerunt duo vel plures Hussari nostri explorantes, num non ibi sit apparatus fœni et avenae, pro hoste comportatus, simulque re comperta S. Leonardi incolis indicaverunt, ut ea omnia in Loostorf conveherent, alias oppidum concremandum. Etiam ab oppido Gresten frumentum exegere hostes, quod cum apud se crescere negarent, commissarius eo missus discessit placide. Ex oppidis quoque Scheibs et vicinis jussu ducis Bavariae maxima vis fœni, avenae et frumenti Ipsium advecta. Hodie quoque primum appositum sunt in mensa

regulari panes majores pro singulis mensis, vulgo Leib Brod, bonus et sapidus panis, idque factum, ut pane parcius uteremur, qui alias in priori forma, die Laibl, per multa fragmenta divisus, multum proficebatur inter pueros culinae et alios de familia. In sequentibus diebus panis in priori forma appositus, et interdum etiam in posteriori.

12^{ma}, tandem hac die, id est in vigilia S. Colomanni, intra nonam et decimam primae equestres Gallorum turmae Mellicium sine ulla resistantia advenere, quarum pars in oppido, pars una cum eorum duce, inscio P. Priore, ipsum Monasterium in equis ingressi sunt, et statim totum atrium occuparunt durante pluvia. P. Prior autem tunc iam celebrabat anniversarium sollemniter pro nostris fundatoribus. Ingens nostrum omnium trepidatio propterea, quod cum importunitate foenum et avenam flagitaverint, et propter pluvias satis aspere et incivilter milites erga nos se gesserint, et per ianuam Monasterii quidam illorum ephippia, sclopetata et frenum in ambitum nostrum a cinua in utraque parte, non tamen usque ad scalam, nec usque ad Sacristiae fores intulerunt, super quibus postea ebrii per totam noctem dormierunt, fere usque ad Nonam altum clamantes, neminem tamen nostrum vel domesticorum laedentes. Ductor eorum et ceteri Officiales prandium simul et coenam post horam tertiam foris sumere, numero circiter 21. Finito officio divino P. Prior ad ductorem militum exiit, eumque excepit. Equites vero in atrio apud suos suspensos equos sub dio dormierunt, cessantibus pluviis multum clamorem edentes, erant omnes, etiam excubitores, propter vini haustum excessivum ebrii, ut unus ex Officialibus mihi ipsi gallicis verbis exposuit. Alii per portam Monasterii alternatim ingressi, bibere a nobis petierunt, quod etiam ipsis, tantum ut benique nos haberent, libenter tribuimus. Hac die quidam miles noster e Legione Eugeniana defecit ad Gallos, eisque Hussarorum nostrorum castra prodidit.

13^{ta} Festum S. Colomanni in Choro, ut alias solemnissime celebravimus, silentibus utcumque militibus tempore Matutini et Primae, qui intra Conventum dormiebant. Advenit non obstantibus militibus processio ex oppido; sed P. Franciscanus quidam ex Ips ad concionem invitatus, cum non apparuisset, eam e nostris P. Joachimus, multo ante a P. Priore invitatus, habuit, et P. Prior noster summum Missae sacrificium celebravit. Comedimus tristes et gementes in mensa regulari, uno tantum Capucino ex Scheibs, vini collectore, in mensa, uti et nostro horologiario ex Gresten praesentibus, nec permisit P. Prior, ut post mensam in refectorio remaneremus, et in ipsa mensa tantum unum vel duos cibos extraordinarios cum potu in vitro habuimus. Eadem regularitas, praesertim in victu in coena, nisi quod permissum fuerit nobis, post coenam in refectorio remanere. Sub vesperam primae advenientes turmae Gallicae, quae ex Hussaris, equitibus cataphractis, et desultoriis, ac gregariis paucis militibus constabant, castra posuerunt in agro nostro, vulgo auf der Breiten, quae cum multo moerore et tristitia conspexi. Statim in eodem loco alii Galli Mellicii advennerunt, non tamen sicut primi, in

Monasterium ingressi suūt, sed in oppido pernoctarunt, officiales tamen isti, uti et primi, in Monasterio refecti fuere et dormire.

14^{ta} in Sabbato primae Copiae Gallicae (hae ipsae, quae tam insolenter Monasterium ingressi sunt in equis) Mellicio mane digressae inciderunt in manus Hussarorum nostrorum prope Ror, et ab ipsis caesae fuere et vulneratae, quod ceteris Gallis advenientibus magnum terrorem incussit, ita ut semper interrogarent nos, ubinam Hussari sint, et quonam diverterint. Numerus caesorum et vulneratorum mihi certo non constat, certum tamen, unum ex vulneratis Mellicium adductum, et inde Ipsum. Cetera omnia particularia postea rescientur. De hac velitatione inter Hungaros nostros et primam turmam Gallorum inter Ror et oppidum Loostorf narravit mihi D. Schlager, Decanus Loostorfensis: 14^{ta} Octobris in nocte circa horam secundam Galli inter Loostorf et Ror ex ea parte, ubi vineae et sylvae cernuntur, venientes improvise a nostris Rasciis et Hungaris, qui eorum adventum iam parati exspectabant, invasi sunt sub nebula spissa ejus noctis, ob quam a Gallis non videbantur. Rascii terribiliter explosis bis sclopetis suis in eos, postea cum frameis suis eosdem caedebant, et impellebant in prata, quae in illa vicinia sunt, et eosdem fugere coegerunt, ubi equi ipsorum usque ad ventrem limo inhaeserunt. Caesi et occisi Galli creduntur ad 300, vulnerati alii permulti, tres Officiales a D. Decano sepulti fuere, a Gallis eo adducti, pro quibus solvere funeris laborem quidam Ingenieur (Hauptmann) voluit; sed Dominus Decanus nihil acceptavit, dicens, se dolere de caede illorum. Plurima minora arma vulgo Pistolen, pilei, et vagi equi, occisis Dominis per prata et vias videbantur. Senex ille, Rasciorum Praefectus, cujus sub 16. Octobris mentio hic fit, suis retrocedentibus ob adventum hostium petens a rustico, se duci ad exercitum (intelligens ad suos) cum plura germanice loqui nesciret, ab eodem rustico ductus est ad Gallos, et sic non captus sed traditus in eorum manus venit per mirabilem casum. Haec Gallorum caedes magnum terrorem illis incussit.

15^{ta} Octobris iterum venere Mellicium turmae Gallicae, prioribus recedentibus, non tamen ad Monasterium, sed partim in campis, partim in oppido. Milites incredibiliter per hos omnes dies a die 14^{ta} usque ad 20^{am} P. Cellae Praefectum ejusque famulos propter vinum affligunt et molestant, quamvis plerique idem datis pecuniis, solverint, ac necesse fuit, ante fores Cellarii poni custodes militares, qui et ipsi inter se saepe dimicabant, ac praesertim Galli magis vino dediti erant, quam Bavari, eorumque officiales ingentem vini vim, datis pecuniis, coemerant a Monasterio.

Die 16^{ta} Octobris pridie sub noctem primae turmae Bavaricae Mellicium venere, et mane iterum rediere ad oppidum nostrum, ut ordinationem itineris sui ab adventuro hodie ipsorum Duce Electore Bavariae exspectarent. Eodem die scilicet 16^{ta} tandem advenit Serenissimus Elector Bavariae equitans, circa horam 2^{dam} pomeridianam, praecedentibus multis ipsis militibus, praesertim ejus Leibregiment Dragoner,

in rubro per totum vestitis, et dispositis in atrio nostro. Eodem Monasterium intrante omnes campanae nostrae pulsatae sunt, et illum apud primariam portam magnae Scalae, de equo descendantem et pedes euntem ad ipsam magnam scalam noster P. Prior et Conventus in floccis excepit, et deductus usque ad ipsius conclave, comitantibus ipsum ejus praecipuis ministris, praesertim Comite de Thöring, et intimo Secretario, natione Gallo. Cum intrasset Monasterium, quidam ex ejus aulicis praesentavit Duci ingentem frameam oblongam cujusdam Rascii officialis. (Rittmeister) qui ex parte nostra militavit, uti et ipsum Rascium barbatum et venerabilem senem 70 fere annorum, in equo sedentem, nomine Störba, quem et ego meis oculis conspexi, et captus fuit ab hostibus, in aliqua pugna, et a quodam rustico equum pro 4 Ducatis comodatum accepit, ab eodem petens, ut se a ceteris separatim ad suos duceret, quem vero rusticus sive bona sive mala fide, haud satis constat, tum ad hostem perduxit. Ferunt illum sedentem in equo in atrio nostro, et a multis militibus et aliis hominibus cinctum amare flevisse, et maluisse, ut in proelio occisus fuisset. Et re vera vehementer bonus ille vir doluerit, se Duce in Monasterium ingresso, quasi in triumphum ab ejus militibus ductum. Dolui ego, et plures alii e nostris ex animo boni viri vicem. Antequam Dux ad prandium accessisset, misit ad nostrum P. Priorem, et ex eo quaeri voluit, ubinam sit das Tafel seu Silber-Service.

Id magna ex parte Viennae remansit, et reliqua pars fere tota, etiam me dudum consulente, tempestive Viennam pro majori securitate transmissa est. Hac ipsa die soli Bavarici milites, nullus autem Gallicus Mellicium venit, atque in vicinis nostris campis iam virentibus tentoria, etiam a me visa, fixerunt, qui mira propterea intra me cogitavi. Numerum autem harum Bavaricarum copiarum certo rescire non potui. Circa tertiam, vel paulo post, venit ad Bibliothecam Comes de Thöring, Mareschallus, Campiductor exercitus Bavarici, cum aliis nobilibus, cui et ego inservivi, et nonnulla de libris historicis locutus sum. Paulo post ipse Elector Bavariae cum ingenti comitatu ad eandem Bibliothecam accessit, et visis ac laudatis libris tum impressis cum manuscriptis, quos ipse me audiente antiquissimos nos habere ad ceteros circumstantes dixit, ac elegantia aedificii, ac picturae, uti et de fictis libris in aditu testudinis, mihi dicere dignatus est, sibi a me ante biennium, cum apud nos esset ostensum fuisse vetus ius Bavaricum Provinciale, cui cum debita reverentia respondi, me propterea suae Serenitati Electorali ob summum hunc honorem devinctissimum esse. Quaesit postea a me, quis sit omnium in nostra Bibliotheca antiquissimus liber, respondi Bedam de cursu temporum eumque IX. saeculi. Interim cum non statim ad manum haberem, jussi illico P. Maximilianum, qui ipsum occultabat, advolare, et ab eo accepi, eumque Duci Electori Serenissimo iam viam ad mensam accepturo coram omnibus hospitibus ostendi, ceteris etiam Magnatibus eum inspicientibus et mirantibus. Serenissimus dux Bavariae in comitatu suo habebat nothum fratrem suum vulgo Le comte de Bavier, juvenem,

et Comitem Saxoniae, nothum Regis Poloniae prioris, cui ego quoque locutus sum, et Principis a Dessau filium, item 4 Legatos Franciae, Prussiae, Saxoniae et Hanoverae, uti et Generalem de Smettau.

17. Octobris. Comes de Preysing supremus Camerarius Electoris Ducis Bavariae eo jubente P. Priorem evocavit mane ad se, quem ego, P. Hieronymus, et Reinerus comitati sumus, et proposuit nobis Serenissimum Ducem Bavariae petere a Monasterio ein Darlehen circiter 150.000 florenorum, eo quod hic Princeps indigeat pecuniis hoc tempore, et fructum ingressus in Austriam nostram percipere vellet. Respondit P. Prior, id nobis impossibile esse, et tantum mille ducatos, et aliquid de argento nobis religiosis pro sustentatione nostra D. Abbatem reliquisse, neque etiam (cum D. Comes urgeret, ut a creditoribus summam aliquam mutuo acciperemus) in tota nostra vicinia a nobis posse colligi, specialiter, quod Dominus Abbas abesset, sine cujus scitu et consensu nemo quidquam nobis commodaret. Replicuit vero D. Comes, ut tempore utamur, et quantum fieri posset, summam notabilem afferemus, alioquin acriora remedia, scilicet visitationem cistarum, et locorum absconditorum certe subeundam, in quibus, si quid absconditi deprehenderetur, id nobis absque ulla usura et fructu auferendum. Spondit praeterea, se nobis viam aperturum pro audientia apud Serenissimum Ducem Electorem habenda. Haec propositio omnes nos tres vehementer perculit, idque tandem conclusimus, ut quidquam rerum omnium haberemus, id omne ad dictum Comitem perferremus, ita quidem, ut nec aliud quidquam nobis superesset, unde alii possemus, eratque summa illa fere 10.000, et quod excedit. Notandum autem quod Serenissimus Dux Elector promiserit nobis, se ex salis Gmundensis proventu summam a nobis praestitam fideliter restitutum. Haec mihi dies una erat ex tristissimis, quos habui in Monasterio nostro, fere ut dies ille post nostrum incendium, ita ut cor meum vehementissime sanciatum esset. Post prandium habuimus, introducente Comite de Preysing, audientiam apud Serenissimum Ducem Bavariae, solum in conclavi existentem, scilicet nos tres P. Prior, Hieronymus et Reinerus. P. Prior humiliter alloquens Principem petiit ab eo primum Salva Quardiam Monasterii ex militibus Bavaricis compositam, secundo Passportum pro nostris confratribus e vindemiis redeuntibus, eorumque comitatu, et demum exposuit, nobis esse impossibile summam des begehrtten Darlehens praestandi multis de causis; quarum prima erat, nostrum Abbatem nonnisi modicam summam mille ducatorum, et pauculum aliquid de argento pro nostra necessaria sustentatione reliquisse, II da, tantam pecuniam in vicinia nostra non posse colligi, utpote quia ipsi vicini, seu nobiles seu religiosi, tantam in paratis penes se non habent summam, et etsi habent difficulter ob temporis moderni circumstantias ab ipsis obtinendam. III ita abesse D. Abbatem nostrum, sine cujus voluntate et consensu neque mutuum accipere possumus, nec creditores nobis concederent. IV. esse quidem nobis vina sed absque emptore. Denique si voluerit Princeps modicam illam substantiam ab Abbate nobis relictam, eam nos libenter obluros,

sed amplius in Monasterio ob defectum victus subsistere non posse. Demum flexis genibus oravit P. Prior, ut sub sua protectione et gratia nos susciperet, et a petito suo benignissime desistere dignetur. Respondit Dux vultu benigno et gratioso, se circa duo prima petita curaturum. De tertio vero, quoniam pecuniis egeret, ob maximos sumptus belli a se factos, petiit, ut si in praesentia tantum non haberemus, saltem daremus quod poterimus, et ad creditores confugeremus, et pro hac pecunia se vicissim nobis daturum tantum salis, idque cum omnibus securitatis clausulis, ita ut nullum periculum amittendae sortis incurreremus. Addidit etiam se ante biennium multam humanitatem a nobis accepisse, et se amare religiosos. His auditis facta reverentia et petito osculo manus Ducis recessimus, et una cum P. Priore conclusimus, ut omnia, quae habebamus, additis etiam P. Cellerarii Placidi pecuniis. Duci quamprimum offerremus, etiamsi post hujus pecuniae oblationem nihil nobis, unde viveremus, superesset. Heu! quam magna mei et aliorum cordis pressura ac tribulatione, maxime cum essemus parati etiam apertionem cistarum, et visitationem aliorum locorum sustinere, uti nobis oblique insinuavit supremus Camerarius Bavariae Comes de Preysing. NB. a die S. Colomanni post meridiem usque ad diem 20. nam ingens accursus Gallorum ad visendam Ecclesiam et Bibliothecam nostram, ita ut turmatim et legionum Generales et alii Officiales ac gregarii milites in utrumque locum confluerint. Et saepe simul 30 vel plures in Bibliothecam ingressi sunt, et postea ad galleriam exteriorem, stupentes et admirantes aedificiorum nostrorum superbiam et magnificentiam, uti illi dicebant, et cum ingenti ac incredibili curiositate singula considerabant. Erant inter eos, qui et latine et germanice norunt, qui dicebant, se nunquam, nec in tota Gallia talem splendidam Ecclesiam et Bibliothecam, quoad ornatum saltem, se vidisse. Erat ingens strepitus et tumultus in Monasterio et Ecclesia propter eorum ingressum et egressum, et incredibiles propterea molestias ego cum P. Maximiliano et aliis confratribus meis, quos ad custodiam Bibliothecae adesse rogabam, sustinuimus, spectantes praecipue, ne quid ex libris surriperetur, praesertim manuscriptis. Ea de causa cistam veterum nummorum et recentium ex eorum oculis dudum removimus, aliaque curiosa, quae habebamus, et saepe non satis admirari potui cum aliis confratribus meis curiositatem nationis Gallicae. Usque adeo et nostri fori seu oppidi scribae, et nobis molesti erant, ut ubique peterent, et conquirerent chartas geographicas Austriae inferioris adeo, ut et P. Edmundus et ego ex Atlante magno tales chartas ipsis communicare debuerim. Imo quidam ex eorum Generalibus unam maximam Austriae chartam, quae pendeat in ambitu, sibi dari a P. Priore petiit, et ad praecavendam majorem importunitatem tandem obtinuit, ac ex Ram excissa in oppidum transmitti debuit. Unde chartam talem maximam inferioris Austriae ego ipse, a P. Priore monitus, ex ambitu removi, et ad Bibliothecam minorem clam deportavi.

Die 18^{va} S. Lucae, cum essemus vehementer consternati ob postu-

latum peccuniarium, atque Camerario dixissemus, nos mittere velle ad Dominum Abbatem nostrum, si tutum nuntium consequi possemus, ecce! benignissimus Deus, qui consolatur nos in tribulatione nostra, consolatus est nos pupillos Mellicenses in insperato adventu nostri Domini Abbatis Adriani, qui fere sub horam secundam vespertinam repente nobis, nihil tale exspectantibus, per postam Mellicium advenit, videns atrium plenum militibus. Statim ejus adventus nuntiatus fuit Duci Bavariae, sedenti ad mensam cum ministris et legatis, per Comitem de Preysing, Ducisque iussu vocatus ad mensam fuit Dominus Abbas, facto in mensa pro eo recipiendo cito loco. Verum ille se demisse excusavit, sponditque se postea Duci sese praesentaturum, quod et factum est, cum D. Abbas maxima cum humanitate audientiam petiit et obtinuit. Dominus Abbas postea aliis praecipuis ministris Bavaricis officii causa altera die se stitit, et praecipue a supremo Camerario Comite de Preysing intellexit postulatum Ducis a nobis praestandum. Noster D. Abbas Posonii ab ipsa regina facultatem Mellicium eundi petiit, et primum non impetravit, secundo petitam tandem obtinuit.

Die 19^{na} D. Abbas nobiscum prandium sumpsit, sed eo durante evocatus ab oratore Gallico surrexit, et ad eum venit, posteaque prandium sumpsit in mensa Ducis, pallio amictus. Post prandium ad Prioratum omnes, praeter infirmos et fratres ex iunioratu, professos vocavit, nobisque breviter miserias hujus temporis, et status Monasterii exposuit, addiditque, a Monasterio nomine Ducis postulatam per modum eines Darlehen summam 150.000 florenorum, dixitque se Camerario respondisse, hoc nobis esse impossibile ob causas jam a P. Priore, et postea ab ipso allatas, sequere paratum esse caput potius amittere, quam talem summam exsolvere, siquidem id esset cum totali ruina nostri Monasterii; velle se ex peccuniis, quas haberet, 10.000 eidem dare, et addere circiter 3 vel 4 millia ratione contributionis, quam a tota Austria, quatenus Dux eum in praesenti possidebat, exigebat nempe summam 200.000 florenorum, et si Dux viam monstraverit, unde possemus plus accipere, se eam non recusaturum. Petiit igitur Abbas a nobis desuper sententias nostras, et P. Prior, uti et ego, P. Reinerus diximus, cum possibile moraliter nobis non esset, tantam summam posse consequi, ut ipsum totum Silber-Service Duci offerat, et reliquas pecunias superaddat. Verum cum hic argenteus mensae apparatus Viennae detineretur, dixit nos eum huc adferre non posse, sed credere, ipsum contentum fore dictis 10.000 florenorum, vel quid plus. Eodem die me ad se vocavit Dominus Baro de Praidlohn, Vice-Cancellarius Bavaricus, multa de re litteraria et moderno Austriae statu mecum locutus, tandem me monuit, ut, quantum possemus, Duci in petitione sua satisfaceremus. Hac die a Gallis noster Capitaneus Strenner carceri honesto, ut et plures alii Praefecti vicini, mancipati fuere.

Die 20^{ma} dicebatur Dux post prandium hinc abiturus, mansit tamen, mutata sententia, usque ad vesperam, ob acceptum nuntium, uti dicebatur, Gallos apud Pottenbrunn ab Hussaris caesos fuisse. Quid rei sit, audire

primum praestabit, et quomodo contentus fuerit Dux Serenissimus, et quam summam D. Abbas ej dederit. Hac ipsa die occurrerunt mihi Monasterium ingressi duo domini parochi de Arnstorf et Gerolding, quorum primus ex scheda Gallica mihi ostensa dare debuit 40 florenos et alter 15 per modum contributionis. Eandem exegerunt a vicinis Monasteriis, Parochis et Dynastiis, sitis intra Erlauf et Drasenam. Audiemus de his plura. Parochus de Arnstorf ostendit mihi listam taxatorum a Gallis, e qua constabat, Gottwicenses ad 3000, et Axpacensem Cartusiam ad 800 florenos solvere debere, et omnes parochi intra dictos fluvios duos convenire Mellicium debuerunt, et solvere taxam a Gallis petitam.

Tzaikistae rursus videntur in Axpach, indeque Steinium descendunt, facientes magnos excessus, et Gallis et Bavaris formidabiles. Tandem cum Galli per vallem Meidlingensem penes Monasterium Gottwicense usque ad Mauttern venissent, a Gallis tormentis cis Danubium impetiti longe aufugisse dicebantur. Post eorum fugam naves fere 80 vel plures in aqua cum lignis impositis, absque milite tamen, et tormentis descenderunt die 20ma, me vidente, Steinium, ibidem in pontem navalem aptandae. Hinc primum intelleximus, Ducem Bavariae et Gallos non intendere obsidionem urbis Viennensis, sed transire velle per pontem Cremsium, et altera Danubialis Austriae parte perlustrata in Moraviam et Bohemiam velle intrare.

Die 21. Octobris demum e Monasterio discessit circa horam octavam antepomeridianam Serenissimus Dux Bavariae Carolus Albertus, statim post auditam ab eo Missam in Ecclesia, in ambitu superiori a D. Abbate nostro et Conventu exceptus, qui D. Abbas ultimum ipsi obsequium verbotenus praestitit, et gratias egit Principi, seque cum Monasterio eidem commendavit, cui et Dux benigne locutus est, me propter distantiam, quid dixerit non intelligente, et comitati eum sumus usque ad infimum scalae gradum, apud quem equum suum conscendit, et comitatus a suis praecipuis Ministris et Gallicis meris copiis, sonantibus quoque campanis, e Monasterio egressus est. Deo gratias immortales, quod ab hoc hospite ejusque comitibus nos misericorditer liberaverit. Bonus ille senex Rascius captivus, cujus supra memini et qui in illo eleganti cubiculo, quod minori scalae adjunctum est, detentus hactenus, et satis bene habitus ac custoditus fuit, cum ultimo militum agmine equo sedens abiit. Sic et oppidum Mellicense totaque vicinia omnibus hisce militibus, et plane non invitatis hospitibus, miserante Deo liberata fuit. Fama hac die erat, Ducem cum suis Mauttern per pontem transiturum, et per Cremsium et Moraviam in Bohemiam contendere. Id quod rerum eventus docebit. Simulque totus terror evanuit ipsum Viennam obsessurum. Ita Dux Bavariae 5 diebus Mellicensi in coenobio nostro haesit, postquam et Lincii et Ipsii itidem multis diebus commoratus fuisset. Quantus numerus militum, tum Bavaricorum tum Gallicorum fuerit, qui in Austriam nostram his diebus intraverunt, hactenus rescire non potui, interim credo non ultra 30.000 fuisse. Gallici milites gregarii plerique vultu atro et vestimentis albis,

prae fuligine denigratis, quasi in clibano haesissent, et ad lumbos frameis accincti fuere, tamen ut apparebat fortes et generosi. Totis fere diebus, quibus apud nos fuere milites Gallici et Bavarici cum Duce eorum nihil certi et explorati de nostris Austriacis militibus et Hussaris rescire potuimus, nisi varios rumores de velitationibus cum hostibus, sed mira variatione relationum. Illud tamen ex silentio hostium collegimus, eos plerumque a nostris superatos, neque e nostris vel unum ab hostibus captum fuisse, cum tales captivos certe Mellicio Duci Bavariae praesentandos adduxissent, et cum hostes nunquam quidquam prosperi successus aut gloriosi super nostros vulgarint, quod certe, utpote nimis gloriosi et ostentatorii, fecissent, si victores exstitissent. Item die praedicta 21. per terram plurimi currus cum minoribus tormentis bellicis Mellicio ad exercitum Bavaro-Gallicum transierunt. Tzaikistae ad primam explosionem tormenti Bavarici in eos factam Steinii, eodem loco ulterius fugerunt, praedones potius quam milites et defensores vocandi, quorum praesentia terrorem tantum incolis et damnum, nullum vero commodum attulit, ac proinde omnibus fuere invisi.

Die 23^{ta} plures currus onusti infirmis militibus hostilibus, quorum fere 30 in hospitali Mellicensi collocati sunt, et aliqui eorum hic mortui, Ipsum ad Cassernam abierunt. Habemus et in cella Conventus nostri unum Capitaneum Bavarum jam per plures dies, quem Fr. Casparus diligenter curat, et alii religiosi saepe visitant. Eodem die rumor hic enatus est, Principem Hildburghausen cum multis nostris copiis partim Italicis, partim Tirolensibus, Passavium cepisse, quod tamen falsum erat. Eodem die post prandium in ordinario exitu nostro versus Spilberg instituto vidimus campos, in quibus milites plurimi castra metati sunt, adhuc plenos stramine, aliisque vestigiis equorum, lignorum, focorum etc. Sepes ubique ab hostibus avulsae, et ad ignes excitandos usurpatae, ita ut nusquam fere sepem videre licuerit, uti et Blanken circa hortos et domos. Eodem die primas litteras accepi a Patre nostro Martino e Piber scriptas, cui et statim cum P. Priore per nuntium ad nos ex Styria missum rescripsi. P. Ambrosius noster in Cellis Marianis Styriae hospes reditum ad Monasterium nostrum petiit, sed pro tunc non obtinuit a D. Abbate tunc praesente.

24^{ta} Octobris noster P. Placidus Cellerarius e S. Hippolyto rediit, quo a P. Abbate nostro missus fuit cum 13.000 florenorum et una charta cambiaria vulgo Wechsel-Zettl per 17.000 florenorum, i. e. tota summa 30.000 florenorum, quam Dux Bavariae per modum eines Darlehen a nostro Monasterio petiit, cum primum voluerit 150.000 fl. Item P. Placidus narravit a Duce Bavariae diem natalis suae conjugis solemnissime cum toto suo exercitu celebratum. Item nomine D. Abbatis nostri veniam delicti uni militi Gallico exorasse, qui Mellicii unum par linteaminum furatus est, et ad suspendium jam damnatus fuit. Item quod una pars exercitus Bavarici in Cisdanubiana altera in Transdanubiana hyematurus sit.

25^{ta} Octobris redierunt Gallici militum praefecti permulti, inter quos et Generales, qui suo placito per praecursorem ac curatorem cubiculorum vulgo Kammer-Furier conclavia Monasterii assignari voluerunt, ac stabulum nostrum pro 60 equis parari. Capitaneus noster mihi narravit, utpote praesens rei gestae, Gallos ex ea parte Austriae, quae inter Erlauf et Trassenam fluvios cubat, sexaginta 6 millia 966 florenos per modum contributionis collegisse, quae tota summa Gallicis cessit. Eodem die sub noctem venit der Hof-Furier Ducis Bavariae asserens adventurum cras Ducem Bavariae, et propterea cubicula ubique designavit, cum quo Galli rixas habuere; venere cum eo coqui Bavarici, et statim iterum redire iussi sunt.

26^{ta} circa 5000 Gallorum per oppidum transierunt in Austriam superiorem ascendentium, quos reliqui Galli omnes secuturi dicebantur. Bavari sparsere, omnes copias Bavaricas, quae Steinii pontem navalem transierunt cum duce suo Comite de Törring in Bohemiam penetraturas per Zwetl Monasterium, et copiis Ducis Saxoniae jungendas. Galli vero omnes eis Danubium in nostra vicinia existentes, Ducem Bavariae comitati sunt usque in Enns, et per Danubium ibidem in Bohemiam itur ferebantur. Pons quoque navalis Bavaricus Steinensis dissolvi jussus est et naves a nautis abduendas ferebatur. Ad Monasterium PP. vindemiatores vel decimatores hodie feliciter redierunt. Item circa 20, alii dicunt 40 Hussari nostri ab hostibus capti ducuntur, qui hostes scilicet Galli nostros fere usque ad Sighartskirchen persecuti sunt, quod Gallus quidem miles, qui cum illis 5000 Gallis contra eos missus fuit, confirmavit gloriabundus. Eodem die sub vesperam redierunt ex Italia duo confratres nostri PP. Victorinus, et Romanus, qui animi causa ire permissi sunt a Domino Abbate, et Mellicio discesserant die secunda Septembris. Audivi praeterea, quantas exactiones fecerint Galli et Bavari in Monasteriis S. Hippolyti, Gottvicensi, Ducumburgensi, Campilliliensi, Sanct Andreano, et Tirnsteinensi, uti et de quorundam locorum direptionibus.

27^{ma} nihil admodum novi accidit, quod ad me allatum fuisset.

28^{va} sub noctem currus aliquot, vulgo Lätter Wägen, ad monasterium nostrum pervenere, in quibus erant arrestati per modum obsidum circiter 13 vel 14 personae, inter quos etiam erat unus religiosus, Tirnsteinensis Camerarius, et Iesuita, Cremsensis Procurator, unus Zwettalensis, Comes de Hohenfels, ceteri Officiales erant, qui omnes huc adducti fuere cum militibus jussu Ducis Bavariae et Gallorum et in uno conclavi conclusi fuere, custodientibus se militibus. Causa erat, quod petierit Dux Bavariae cum Gallis ab Austria trans Danubiana circa Stein et Crems, ac reliquis adiacentibus locis, ut 400.000 Florenos solverent illis, et donec haec summa esset soluta, obsides praedicti non dimitterentur. Audivi quoque eadem die, D. Abbatem Gottvicensem e Monasterio suo vi cum militibus abductum iussu Ducis et Gallorum in S. Hippolytum, et cum eo Praepositos Monasteriorum Canonicorum Regularium Sanct Andreanum et Ducumburgensem, uti et Priorem Cam-

piliilem ac P. Camerarium P. Vitalem Wenigelli ad S. Hippolytum in custodia ob eandem causam detentos, proh dolor! tanta erat inhumanitas ipsius Ducis et Gallorum in Ecclesiasticos et Dynastas Austriacos. Heri quoque duo Gottwicenses sc. P. Prior, et Praefectus in Gurhof ad nos venire, et omnia de sui Abbatis captivitate confirmabant, et nobiscum altera die in refectorio prandebant. Item denuo a P. Rectore Apxacensi 4000 fl. cum praestationibus foeni et frumenti petiti fuere sub comminatione incendii Cartusiae suae, quae comminatio et aliis Monasteriis facta fuit, Aszacensis tamen Cartusiani immunes ab hoc gravi taxa permansere. Deo gratias.

29^{ma} Octobris sub horam fere secundam pomeridianam Serenissimus Dux Bavariae cum suis Ministris et militibus Gallicis deductus ad Monasterium rediit ex S. Hippolyto, ubi a die 21. Octobris usque ad 29. ejusdem mensis exclusive substitit, et a Domino Abbate nostro palliato et a Conventu in floccis, sonantibus campanis, apud scalam exceptus fuit. Heri quoque audivi a quodam Saxone officiali nobili in Bibliotheca, Ducem Saxoniae in Bohemiam irrupturum, et a Rege Galliae ipsi assignatam de haereditate Austriaca superiorem Silesiam, Moraviam et Austriam supra Manhartsberg cum titulo Regis Moraviae, proh dolor. Supradictis obsidibus solum permittebatur audire Missam, cum Dies Dominicus esset, in nostro Capitulo foris stantibus militibus custodibus; iidem obsides narrabant nostris Patribus, se per totum exercitum ductos ad S. Hippolytum in Hainfeld stantem, et irrisos a militibus, et ieiunos ad nos perductos. Iterum fama de nostris Hussaris cum Gallis ad S. Hippolytum certantibus allata est, Gallis multis vulneratis et caesis, ut dicebatur. Aliquot millia Gallorum in campis vicinis rursus castra habebant a me visa, quando sursum versus hinc abierunt.

30^{ma} Serenissimus Dux Bavariae cum toto suo comitatu mane inter nonam et decimam circiter horam a Monasterio nostro recessit, sonantibus iterum campanis et atrio nostro pleno militibus Gallicis, curribus et mulis sarcinas portantibus, iter in Austriam superiorem dirigens. Atque ita Vienna a metu obsidionis Bavaro-Gallicae Deo miserante liberata est, quamquam Bavari sparserint, nunquam se cogitasse de hac obsidione, quod non credam, cum comodissimum tempus id exequendi habuissent. Apparuit quoque, Ducem Bavariae cum Gallis Austriam nostram eo fine intrasse, ut eam pecuniis et victualibus emungerent, sicque haec irruptio depraedatio magis fuit quam bellum. Deo ex corde gratias egimus et gavisi sumus, quod Dux nullam novam exactionem a Monasterio petierit, licet in metu fuerimus, eam a Gallicis militibus Ducem secuturis faciendam. Ex obsidibus praedictis, inter quos et D. Holzel Cremosensis et frater nostri P. Pauli fuit, unus tantum hac die e custodia liberatus fuit, nempe P. Henricus Zwetalensis, qui et die sequenti, me vidente per montem nostrum uno homine comitante descendens laetus rediit; ceteri vero omnes pedibus Ducem et milites usque in Neumark, abhinc scilicet 3 leucis, sequi jussi fuere. Eodem die P.

Prior Gottwicensis laetus mihi narravit, Abbatem suum Godefredum e custodia S. Hippolytana liberatum fuisse, oppignorata sua raritatum et numophylacei camera usque ad praestationem realem cautionis suae, quod ultimum noster P. Wolfgangus mihi dixit. Quid de duobus Praepositis itidem in custodia detentis, uti et de Priore Campillensi, et nepote meo factum, haecenus rescire non potui. Dictus P. Prior Gottwicensis cum confratre suo, Praefecto in Gurhof, P. Augustino, sumpto apud nos in refectorio prandio, ad propria redierunt. Retulit mihi noster P. Wolfgangus, qui cum P. Confessario Ducis Bavariae conversari iussus est, Ducem aegerrime tulisse, et plane cum supplosione pedum suorum, quod obsides praedicti ita duriter (praesertim quod attinet prohibitionem legendi missam, vel nec audiendi, tribus ex iis sacerdotibus) a Gallis habiti fuerint, et se noluisse tam inhumanam eorum tractationem, quodque rogante apud Ducem ejus Confessario concessum fuerit obsidibus, saltem in Capitulo nostro, ut supra dixi, Missae interesse. Patet hinc, quam parum curaverint Galli Ducis iussa. Item jam altera vice noster postea Praefectus omnes litteras afferre debuit ad Monasterium liberè apertas et lectas a Ministris Bavaricis. Item hodie pars navium (uti et heri, et nudius tertius) pontis navalis apud Stein reductae sursum versus Austriam superiorem fuere, et deductae a militibus, quarum partem ipse vidi die 31. apud Emerstorf, quarum circiter 4 oneratae a Tzaikistis oblatae feruntur. Item post vesperas e Bibliotheca St. Patres novarum editionum salvari feci metu direptionis a Gallis faciendae.

Die 31^{ma} jussu D. Abbatis post Benedicamus in Vesperis sollemnibus cantatae sunt Litaniae in choro figurali de B. V. Maria, et post eas aliquot orationes dictae, postea primum Salve Regina, demum data benedictio cum Venerabili exposito.

(Continuatur.)

Das erste General-Capitel der Beuroner-Congregation.

Im Herbste des Jahres 1884 wurde durch die definitive Bestätigung der Constitutionen von Seiten des Apostolischen Stuhles der innere Ausbau, die Verfassung der Beuroner-Congregation fest begründet; im Frühjahr 1885 wurde durch die Erhebung des Hochwürdigsten Herrn P. Benedict Sauter zum Abte des Klosters Emaus über Erwarten schnell auch die äussere Entwicklung vollendet — die Congregation zählt nämlich fortan drei Abteien: Beuron- Seckau, Maredsous und Emaus. Diese innere und äussere Ausgestaltung sollte alsbald im ersten General-Capitel kraftvoll und segensreich zu Tage treten. Lehren doch die mütterlichen Winke der hl. Kirche die Aussprüche erleuchteter Geistesmänner, die vielhundertjährige Erfahrung der lebenskräftigsten Congregationen unseres hl. Ordens, dass neben